Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Vnde in eis quasi propriis delectetur. atque ita se minus noverit.

Cur ergo ei preceptum est ut se ipsa cognoscat? Credo ut se cogitet V.
et secundum naturam suam vivat. id est ut secundum naturam suam or
dinari appetat. sub eo scilicet cui subdenda est. super ea quibus preponen
da est. sub illo a quo regi debet. super ea que regere debet. Multa enim per cupi
ditatem pravam tamquam sui sit oblita sic agit. Videt enim quedam intrinsecus
pulchra in prestantiore natura quod deus est. et cum stare debeat ut eis fruatur
volens ea sibi tribuere et non ex illo similis illius sed ex seipsa esse quod ille est
avertitur ab eo moveturque et labitur in minus et minus quod putatur amplius
et amplius. quia nec ipsa sibi nec ei quicquam sufficit recedenti ab illo qui solus
sufficit. ideoque per egestatem ac difficultatem fit nimis intenta in actiones
suas et inquietas delectationes quas per eas colligit. atque ita cupiditate
acquirendi noticias ex his que foris sunt. quorum cognitum genus amat et sentit
amitti posse nisi impensa cura teneantur perdit securitatem. tantoque
seipsam minus cogitat quanto magis secura est quod se non possit amittere. Ita
cum aliud sit non se nosse aliud non se cogitare. neque enim multarum doc
trinarum peritum ignorare grammaticam dicimus cum eam non cogitat quia de
medicine arte tunc cogitat. Cum ergo aliud sit non se nosse aliud non se co
gitare. tanta vis amoris est ut ea que cum amore diu cogitaverit
eisque cure glutine inheserit. adtrahat secum etiam cum ad se cogitandum
quodammodo redit. Et quia illa corpora sunt que foris per sensus carnis adamavit
eorumque diuturna quadam familiaritate implicata est nec secum potest introrsus
tamquam in regionem incorporee nature ipsa corpora inferre. imagines eorum
convolvit et rapit factas in semetipsa de semetipsa. Dat enim eis for
mandis quiddam substantie sue. Servat autem aliquid quo libere de specie
talium imaginum iudicet. et hoc est magis mens id est rationalis intel
legentia que servatur ut iudicet. Nam illas anime partes que corporum similitu
dinibus